

» ubique quibuscumque mercatoribus et mercationibus, navigiis,
 » nautis et personis, ascendentibus vel descendentibus per dictam
 » aquam vel per ripam ipsius aque, non turbando, aggravando, mo-
 » lestando vel arrestando ipsos mercatores, mercationes, navigia.
 » nautas, personas vel res. Nec aliquod pedagium, datium, gabel-
 » lam, theloneum, seu aliud gravamen reale vel personale, aut exa-
 » ctiones aliquas vel novitates faciendo, exigendo vel accipiendo,
 » nec fieri, exigi vel accipi, faciendo, consentiendo vel permittendo,
 » perpetuo in dicta aqua, transitu vel ripa Padi nec ejus occasione
 » vel eam apud hostiliam vel alibi ullo modo vel ingenio.

» Item, quod pacta antiqua habita inter comunia Venetiarum
 » et Verone et similiter pacta habita inter comunia Venetiarum et
 » Vincentie debeant hinc inde integre et inviolabiliter observari.

» Item quod dicti domini de la Scala damna per eos seu de
 » mandato vel occasione eorum illata monasteriis, ecclesiis, civibus
 » et fidelibus Venetiarum de animalibus, fructibus, bonis et quibus-
 » cumque rebus eorum et quas habebant in terris, locis, et distri-
 » ctibus tentis per dictos dominos de la Scala ante guerram pre-
 » sentem et extorsiones ac exactiones per dictos dominos de la
 » Scala seu per officiales eorum aut de ipsorum mandato vel oc-
 » casione tam in aqua Padi, scilicet apud hostiliam, quam in aliis
 » quibuscumque civitatibus, terris et locis tentis per eos ante guer-
 » ram presentem a civibus, mercatoribus et fidelibus dicti domini
 » ducis et comunis Venetiarum receptas vel habitas contra pacta vel
 » mores solitos, reficere, emendare, et restituere teneantur dictis
 » monasteriis, ecclesiis, civibus, mercatoribus et fidelibus Venetia-
 » rum pro eis. Et sic promisit et convenit dictus magister Franci-
 » scus procurator et procuratorio nomine antedicto prefato domino
 » Nicolao Pistorino sindico et procuratori dicti domini Ducis et
 » comunis Venetiarum sindicario nomine pro eis, et pro dietis mo-
 » nasteriis, ecclesiis, civibus, mercatoribus et fidelibus Venetiarum
 » stipulanti et recipienti, stando et credendo examinationi et deter-
 » minationi super hoc faciente per comune Venetiarum seu per